Petri ad Cameram

GREGORIUS epc servus servorum dei Dilectis filiis Universitati Terre nre Montissancti Firman dioc Salt et aplicam ben. Exigit vre sinceritatis fidelitas et devotionis integritas quas ad nos et Roman ecclesiam geritis ut petitiones vras illas presertim que commodum et statum vrm concernunt ad exauditionis gratiam admittamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vra petitio continebat qd vos alias pro subsidio Tallea et stipendiis gentium armorum pro custodia Provincie nre Marchie Anconitan que pro tempore deputabantur solvere consuevistis annuatim Quingentos florenos auri Et deinde felicis recordationis Bonifatius pp viiii predecessor nr propter supervenientes necessitates Camere aplice vos coegit ad solvendum Mille florenos auri Annis singulis pro subsidio et stipendiis antedictis. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat Terra vra in qua erat numerus Quingentorum focularium seu fumantium vel circa tempore pacis et tranquillitatis erat fertilis et opulenta et vos tunc faciliter supportare poteratis onera supradicta propter guerras et pestem que in illis partibus presertim in eadem Terra de Anno proxime preterito viguerunt et maxime ex diris et inhumanis insultibus ac excidiis per scismaticos nros et eiusdem ecclie hostes nobis illatis et factis est ad tantam paupertatem reducta qd in ea numerus ducentorum et Sexaginta focularium seu fumantium vel circiter existit et propterea huiusmodi summa Mille florenorum solvere non potestis pro parte vra nobis fuit humiliter supplicatum ut huiusmodi summam Mille florenorum ad summa Quingentorum florenorum duntaxat reducere de speciali gratia dignaremur. Nos itaque vrorum et Roman ecclie fidelium depopulationibus paupertatibus et pressuris more pii patris compatientes ac volentes vos ob fidelitatem et devotionem predictas favoribus prosequi gratiosis huiusmodi supplicationibus inclinati dictam summam Mille florenorum quos solvere tenebamini pro subsidio Tallea et stipendiis huiusmodi ut prefertur ad quantitatem et numerum Quingentorum florenorum auctoritate aplica tenore presentium diminuimus et reducimus de gratia speciali Vosque ad solutionem dictorum Quingentorum florenorum duntaxat pro subsidio aut Tallea seu Collecta huiusmodi teneri volumus et non ultra ac etiam vos ab ulteriori solutione occasione predicte Tallee seu subsidii eadem auctoritate perpetuo ex certa nra scientia eximimus et etiam liberamus districtius inhibentes Venerabili fratri Antonio Epo Portuen Camerario nro necnon Thesaurario executoribus et aliis Officialibus dicte ecclie quibuscumque presentibus et futuris in dicta Provincia ne vos vel singulares personas Terre vre occasione dicte Tallee seu subsidii preterquam in dictis Quingentis florenis duntaxat ullo umqua tempore per se vel alium seu alios molestare seu inquietare quoquo modo presumant. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane si secus super hiis vel aliquo premissorum a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret imposterum attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nre diminutionis reductionis voluntatis exemptionis liberationis inhibitionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Aplorum eius se noverit incursurum.

Dat Lucane iii Id Junii Pontificatus nri Anno Sexto.

Gratis de mandato domini nri pp.

Jo. de Montepoliciano

In Carra

Remissione delle Gabelle
Greg.o XII

Remissio tallia[rum] de mille f. ad
quingentos

N.o 29.o

1412